

Quod si haec nobis quispiam acclamaverit, monendum eum prius censemus, ut rem probe & patienter exploret, antequam laetitiae genuinae, quae alioquin omnibus votis esset expectanda, materiam sibi credat obtigisse. Supra dictae enim veritates, quae ore & calamo concessae sunt nostris ecclesiis, equidem serviant in apertum veritatis testimonium ; quid enim alioqui opus erat, ut nobiscum illi loquerentur, verbisque idem, quod nos, inter tam multas concertationes sentire profiterentur ? Vtinam vero re ipsa consensus verus apprehenderetur, qui verbis representatur ! In singulis enim, antea enumeratis, quae exactae confessioni videbantur subjacere, non parum est, tam latentis, quam aperti etiam, dissensus, quod facili negotio ostenditur. Quando enim

I. Consentunt Protestantes, duas esse naturas, divinam & humanam, unione personali conjunctas, dum negant Reformati communionem & communicationem naturarum inter se, ut & communionem Idiomatum, unionem faciunt non personalem, sed mere accidentalem & externam, non realem & perichoristicam, & sic revera dissentunt potius, quam consentunt.

II. Quando nobiscum sentiunt $\pi\eta\tau\omega\zeta$, talem esse unionem personalem, qua naturae non confundantur, dissensus mentalis se protinus prodit, dum attributa divina carni Christi donata & concessa negant, ut Eutychianismum caveant, incidentes in contrarium vitium & separantes naturas.

III. Quando nobiscum profitentur, *essentialis naturarum proprietates non aboleri*, fovent illud $\bar{\nu}\pi\gamma\lambda\sigma\nu$, ut hoc pro abolitione habeant proprietatum, quando de H. N. divina, & de Deitate in concreto naturae, humana vere & realiter praedicari, nostra assertit ecclesia, atque sic consensus est nullus. Fac, quaequo, experimentum in propositionibus Biblicis e. g. *Verbum vitae contradiximus, vidimus. I. Jo. I, I. aliisque similibus.*

B

IV. Quan-